

Item quodlibet monasterium certum habeat numerum virginum, quem non excedat. Virgines autem recipiende sint de thoro legitimo nate. Ob preces tamen numerus prefixus excedi potest<sup>f)</sup>, dum tamen virgo recipienda tantas afferret divitias, ut ejusdem sine monasterii dampno nutriri posset<sup>g)</sup>.

5 Item nullum monasterium emat redditus aut census in opido vel dominio, in quo situatur, ad vitandas persecutiones dampna et odia ꝛc., in quibus habeatur consilium provisorum.

Item si aliqua monialis professa propter reformationem<sup>h)</sup> exiret monasterium et frivole sine consensu per mensem permaneret extra monasterium, bona temporalia appor-  
10 tata aput monasterium maneant.

Item si aliqua votum castitatis, quod deus avertat, transgrederetur, talis loco voce et velo sine spe recuperationis et reconciliationis privanda est ac carceribus deputetur juxta confirmationem statutorum, nisi totus conventus in reconciliationem cum prelati consensu assentiret.

15 Item nullus prelatus in monasterii gravamen cuiquam monasterio ordinis nostri prespiterum aut fratrem secularem vel religiosum donet, qui aut virginum confessor existat aut earum alimentorum corrosor, sine priorisse et totius conventus consensu speciali et favore. Et si prelatus religiosus existeret, fratribus suis ad monasterium ordinis nullus pateat accessus esculenta potrya (*sic*) aut hospicium querendo petendo aut ha-  
20 bendo ob varias causas, et sic nullam personam intrudat quavis occasione, sed relevet conventus a personis, quibus gravantur.

Item sorores officia gerentes nichil recipiant aut exponant aut in alios usus \*convertant<sup>i)</sup> preter scientiam priorisse et duarum sororum seniorum.

Item sorores officia habentes ebdomadatim priorisse rationem faciant et certis  
25 ex senioribus, ut sic revoluto anno officia \*gerentes<sup>k)</sup> cum priorissa computum ostendant conventui.

Item quelibet priorissa habeat aliquas sorores consiliatrices, quarum auxilio et consilio circa structuram et alias causas monasterii fideliter caute et sine scandalo agat.

Item cum juxta antiquam consuetudinem virgines induantur vestimentis ordinis in  
30 anno etatis tredecimo, \*extunc<sup>l)</sup> detur \*eis<sup>m)</sup> annus probationis integer<sup>n)</sup>.

Item servetur clausura stricta in omnibus conventibus<sup>o)</sup>, ne pateat visus puellarum. Talis enim visus ad ruinam dat occasionem, ut patet in primis parentibus, qui videntes pulchritudinem fructus paradisi prohibiti comedeba[n]t.

Item de conventibus Thoringie, qui laborant ad divisionem, exigatur ab eis  
35 obedientia.

Item sorores in Myssnia et \*Silesia<sup>p)</sup> deliberabunt de receptione Andree Proles<sup>q)</sup>, an recipere cum velint in visitatorem et superiorem prelatum dubitant et deliberationem

667. f) potest posset. g) Vergl. No. 643. h) Vergl. No. 637. 638. 640. i) conventant. k) gerentens. l) eo tunc. m) ejus. n) Vergl. No. 654. o) Vergl. No. 640. p) Sclasia. q) Ueber Proles und seine Reformthätigkeit vergl. Koldte Die deutsche Augustiner-Congregation (Gotha 1879) 96 ff.